DE CAUSIS,

QUIBUS PRAE ALIIS DOCTRINIS LATINAE ET GRAECAE LINGUAE STUDIUM IN GYMNASIIS SIT COLENDUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN

PHILOSOPHIA HONORES OBTINENDOS
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITERARUM ROSTOCHIENSI

PROPOSUIT

PETRUS JOSEPHUS SCHLEMMER,

RHENANUS.

BONNÆ

TYPIS FRIDERICI KRVEGERI.

Cum non minus, quam primis huius saeculi annis, etiam hoc ipso tempore de artibus, quibus potissimum puerilis aetas informanda sit, disputetur, neque ii tantum, qui occupati sunt in pueris erudiendis, de hac re sententias soleant proferre, sed etiam multi, qui disciplinae puerilis plane sunt imperiti, id, quod ipsi non intellegunt, vituperare audeant, disserere mihi proposui de causis, quibus prae aliis artibus latinae et graecae studium linguae in scholis sit colendum. Atque ita quidem mihi visus sum hanc rem commode instituere, ut primum, quid propositum sit eis, qui gymnasii scholas frequentant, inquiram, deinde exponam, qualis doctrina maxime idonea sit ad id, quod propositum est, assequendum.

Falsa est opinio eorum, qui scholae nostrae contendunt nihil curae esse, nisi ut discipuli praeparentur ad ea studia, quae in universitate, quae vocatur, literarum coluntur, neque minus errant ii, qui gymnasii disciplinis putant pueros ad certum quendam vitae statum, velut ad medici, aut philologi, aut theologi munus parari: sed id est scholae nostrae propositum, ut rudes puerorum animi artium ingenuarum studio ad humanitatem informentur, id est, ut omnibus iis doctrinae elementis imbuantur, quibus tanquam stabili fundamento subnixi apti fiant ad omnes, quascunque eligunt, artes ediscendas. Quare etsi negari non potest iis studiis iuvenes ad universitatis studia praeparari, minime licet putare hoc esse solum consilium nostrum: neque enim minus, quam ad eos, qui aliquando in academia studiorum causa versari cupiunt, spectat disciplina nostra ad illos erudiendos, quibus in animo est eas tantum artes ediscere, quae ad vitae usum dicuntur pertinere. Quod enim prae ceteris artibus graecae et latinae linguae studium in scholis nostris colitur, non id agimus, ut discipuli apti fiant, qui in academia literis antiquis studeant easque penitus cognoscant, sed ut hoc studio ad omnem, quacunque alliciuntur, artem cognoscendam praeparentur, propterea quod nulla re adeo, ut literarum antiquarum studio, animi pueriles excoluntur.

At nihil pertinent veteris grammaticae praecepta ad novas artes, quarum vitae usus indiget, nihil expedit

iuvenes peritos esse linguarum, quibus non iam utuntur, aequum non est pueros difficillimis illis grammaticae artis legibus vexari atque cruciari, quae nulli eis sunt commodo: sed earum tantum artium elementa, quibus usus quotidianus carere non potest, ut recentium populorum sermones, de rerum natura doctrinam, pueri videntur docendi esse. Quid? Sane quidem physici, mercatores, ei, qui agriculturae sunt studiosi, multi alii non egent cognitione antiquarum literarum: neque vero quisquam studium earum artium, quibus nulla aptior est ad animum excolendum, aut nihil prodesse huic hominum generi, aut eo omnino de scholis esse removendum putabit, quod ad nonnulla munera suscipienda non sit necessarium. Accedit quod inter supremi ordinis discipulos haud ita pauci inveniuntur, quibus de eligendo vitae statu nondum certum est consilium, qui si unius tantum artis elementis imbuti essent, certe dolerent fieri non iam posse ut vitae genus deligerent, quod, nisi liberalium artium studio essent informati, suscipere non possent. Itaque cum omnium maxime interesse debeat talem esse scholae doctrinam, qua animi pueriles ad quamlibet artem cognoscendam idonei fiant, quaerendum est, in quarum potissimum literarum studio omnium artium fundamentum sit positum.

Ac primum quidem non difficile mihi videtur esse eos refutare, qui prae aliarum artium elementis ea tractanda esse censent, quae de rerum natura agunt, ut quae et graviora sint hoc nostro tempore, quam quae neglegere liceat, et non minus quam linguarum studium apta ad ingenii acumen excolendum animumque rudem emendandum. Profecisse quidem plurima nostra aetate eos, qui rerum naturae cognoscendae operam dant, atque multa, quae antea densissimis tenebris involuta erant, invenisse et cognovisse, nemo potest infitiari, atque plane rudis hominis est arbitrari nihil referre, utrum iuvenes eorum, quae in rerum natura fiunt, causas cognoscant

an ignorent gravissimas leges, quibus rerum naturam circumscriptam esse scimus. Merito igitur imbuuntur discipuli elementis eorum, quae de naturae legibus disputantur, quod si a praeceptoribus quibusdam neglegitur, valde profecto dolendum est atque vituperandum. Sed num haec doctrina sola satis accommodata sit ad mentem puerorum ita acuendam conformandamque, ut recte cogitandi particeps fiat omniumque rerum notiones et principia informare doceatur, vel ea de causa dubitaverim quod etiamnunc physicis multae sententiae sunt, quae ex coniectura pendent atque nonnunquam mutantur: atqui puero, qui nondum particeps est accuratae cogitationis, non coniecturis, sed firmis fundamentis est nitendum: neque enim dubito, quin mutandis sententiis puerorum mens nondum satis acuta confundatur. Multo vero magis eo nego doctinae, quae de natura rerum agit, primum locum concedendum esse, quod illae harum literarum partes, quae ad ingenii acumen excolendum aliquid afferunt, physica et chemica, nisi mens non iam sit magnopere exculta, difficiliores sunt, quam quae a discipulis intellegantur. Quid enim? Frequentare incipiunt pueri scholas nostras, cum novem vel decem annos nati sunt, qui quin physicae et chemicae artis nihil nisi facillima possint comprehendere quis dubitet? Quo fit, ut in omnibus fere scholis huius aetatis pueri de rerum natura nihil nisi ea, quae sunt de animantium, plantarum, metallorum descriptione, cognoscant, quibus memoria fit illa quidem tenax, sed mens non ea, qua par est, ratione acuitur.

Multo dignior est mathematica ars, in qua cognoscenda multum operae consumatur, quae nullis coniecturis nisa, sed principiis perspicuis atque iam puero ad perspiciendum facillimis usa ita erudiat discipulos, ut ex iis, quae aut inter omnes homines vera esse constat neque argumentatione demonstrari opus est, aut satis demonstrata iam sunt, sensim novas res colligant neque quid-

quam contendant, quin ex iis, quae demonstrata sunt, cogatur. Nihil igitur miri, quod ars habetur non modo optime fundata, sed etiam accuratissime exstructa summique momenti, ut fere nullà alia, ad mentem humanam acuendam Nam cum iis semper uti discipuli cogantur, quae perspicua aut demonstrata esse conceditur, nec ullo argumento, ne dicam verbo, uti possint, quod non eo spectet, quo tendunt, fieri non potest, ut ad id, quod demonstrandum est, efficiendum ullum argumentum afferant, quin satis sit consideratum animoque volutatum. Hac igitur arte cum non solum acres in cogitando iudicandoque, verum etiam in eligendis verbis subtiles fiant, assuescunt paulatim rebus recte accurateque definiendis, id quod omnibus difficillimum est, quorum mens non iam magnopere est acuta. Neque minor vis ingenii acuendi posita est in illis argumentationibus, quae fiunt per circuitum nec ulla alia disciplina a pueris ita perspiciuntur, ut mathematica, quae saepissime eis utitur. Itaque cum tam multum ad ingenium excolendum mathematica valeat, mirandum non est nonnullos viros censuisse ad hanc artem in scholis plus temporis et laboris, quam ad ceteras omnes, conferendum esse. Sed illud ipsum, quo prae ceteris disciplinis excellit, nobis persuadet, ne nimium ei tribuendum esse arbitremur. Illa enim mira subtilitate diligentiaque, qua ad probanda ea, quae contenduntur, utendum est, saepenumero fit, ut puerorum mentes, postquam unam horam integram ei operam dederunt, fatigentur, atque res, quae tractantur, ita sunt austerae et, ut ita dicam, ieiunae, ut nihil habeant, quo animi relaxentur, id quod in aliis artibus tradendis non ita raro potest fieri. Quid igitur? Omnino hanc artem neglegendam esse eo, quod discipulos eius tam saepe taedet, minime censemus, sed non aptam eius doctrinam esse, quae primum locum in scholis obtineat, facile, ut opinor, concedetur.

Quodsi mathematicae artis elementa ea de causa

discipulis tradenda sunt, quod subtiliter cogitandi et accurate loquendi ratio docetur, quaerendum est, num qua doctrina sit, qua non minus quam illa arte vis mentis firmetur neque tam saepe difficultatibus perpetuaque intentione puerorum animi fatigentur. Hoc quaerentibus dubium esse non potest, quin linguarum studium, cuius difficultates rariores sunt, quam mathematicae, ita, ut illud, aptum sit ad vim mentis acuendam. Quod infra accuratius disputabimus: primum videtur nobis docendum esse etiam aliam ob causam hoc studium esse colendum. Cum enim literis imbuendos esse discipulos, qui scholis nostris intersunt, omnes homines concedant, literarum autem finis is est, ut doceatur, quod fuerit ingenium, quaeque natura singulorum populorum, et quomodo mores totius hominum generis paulatim sint emendati et correcti, a nullo non concedetur de hac morum atque ingenii correctione, qualis fuerit singularum gentium et universi generis humani, pueros esse docendos. Atqui fieri non potest ut ullius populi ingenium naturamque cognoscamus, nisi eius cogitandi rationem sermonisque usum cognoverimus. Orationem enim hominum nulla alia re nisi signis et vocibus ex libidine factis constare vel ea de causa arbitrari non licet, quod experiendo cognitum est sine oratione rationem existere non posse atque eos, qui oratione carerent, non multo bestiis praestitisse: summo igitur iure affirmatum est orationem nihil aliud esse quam corpus aliquod, quod mihi dicere liceat, rationis. Quo efficitur eis, qui de ingenio atque natura populorum docendi sunt, prae aliis artibus illorum populorum linguas esse cognoscendas. Quam ob rem ei populi, qui usu maxime periti erant, ut antiquis temporibus Romani, hac aetate Britanni, curaverunt ut fere sola grammatica animi iuveniles excolerentur. Et primum quidem sapienter rerumque naturae convenienter institutum est, ut pueri nostrae ipsorum linguae grammaticam ediscant. Hac ratione

cum puer in dies plures variarum rerum notiones et vim concipiat Germanorum ingenio accommodatarum, sensim evenit ut, quia etiam ex historia nostra ea quae memoratu digna sunt enarrantur, populi nostri mores et naturam, non modo qualis etiamnunc sit, sed etiam qualis fuerit, cognoscat. Animus vero hominum qui fuerit omnibus temporibus, non ex Germanorum modo moribus intellegitur, sed permultae aliae gentes et ante tempus illud, ex quo orta est historia Germanorum, et inde ex illo tempore exstiterunt, quae cum suum ingenium habuerint a nostrorum maiorum ingenio diversum, lingua usi sunt illi ingenio suo accommodata. Quo quis igitur planius et accuratius cognoscere cupit, qualis singularum aetatum et gentium natura fuerit et ingenium, eo maiore cura et diligentia ei discendae sunt aliorum populorum linguae. Minime autem hoc ita intellectum volumus, ut multas aliarum gentium linguas discendas esse putemus, sed id modo expetimus, ut iuvenes eorum populorum, quos moribus maxime emendatis et ingenio atque mentis acumine ceteris populis praestitisse constat, sermonis usum cognoscant, eoque studio naturam ipsam eorum perspiciant. Itaque hac de causa linguae Graecorum et Romanorum, qui quin omnium populorum eruditissimi fuerint nemini dubium est, statuimus in gymnasiis nostris primum locum concedendum esse, nec immerito hoc studium hodieque dicitur humanitatis.

Verum multo gravior mihi videtur altera causa esse, de qua hoc studium discipulis nostris colendum esse iam disputabo. Non alienum mihi videtur hoc loco Herderi, qui tam multa de erudiendi ratione scripsit, haec verba ex libro, qui Sophron inscriptus est, petita afferre: „Die Seele hat keine Nägel, woran sie, was sie lernte, aufgehangen und mit ihnen in sich eingeheftet hat; die Regeln der Grammatik sind Nägel, die Mühe des genauen Lernens und Wiederholens ist die Einheftung derselben; dafür aber stecken sie auch fest und

lassen, selbst wenn sie mit Gewalt herausgerissen würden, Spuren nach sich. Eine Grammatik muss der Mensch lernen, denn Grammatik ist Philosophie der Sprache und die Sprache ist ja der Umfang aller Begriffe; an je einer vollkommnern, ausgebildetern Sprache man also Grammatik, d. i. eine Logik und Philosophie der menschlichen Vernunft lernt, desto besser lernt man sie und behält an ihr ein Modell für Ordnung, Genauigkeit und Klarheit der Begriffe im Kopfe für alle andern Wissenschaften, Sprachen und Künste." Quis non intellegat ex hisce poetae et philosophi nostri verbis elucere, quid grammaticae studium ad mentes acuendas valeat? Exercitationibus enim illis, quibus pueri singula verba inter se conferre eorumque vim et formam discernere, verba immutare casibus temporibusque, unde verba ducta sint, exquirere coguntur, firmatur illis quidem et augetur memoria, sed non minus vires illae, quae in cogitando adhibentur, acuuntur: nisi forte putas fieri posse, ut pueri, unde forma quaeque verbi sit ducta, causasque cur quaeque res hoc vel illo nomine sit appellata, exquirant mentis viribus non intentis. Quibus exercitationibus cum unum vel duos annos sunt assuefacti, accedunt syntaxis praecepta, quae non iam de singulorum vocabulorum vi et forma agunt, sed de contextu et coniunctione, quae est inter totius sententiae singulas partes et enunciationes, quam pueri, nisi omnibus mentis viribus nituntur, intellegere prorsus non possunt. Quae intentio multo maior debet esse, cum de multis illis praeceptorum exceptionibus agitur, quae quia non ita raro difficultates animo puerili creant eumque summa intentione uti cogunt, praecipua via et ratio habendae sunt accuratissime cogitandi. Quid autem, si praecepta grammatica explicanda sunt in iis, quae in schola leguntur et in alterum sermonem vertuntur? Duplici ratione puero facultas est probandi illa a se penitus esse percepta: aut alienae orationis, cuius praecepta ei

tradita sunt, sententiae in patrium sermonem sunt vertendae causaeque inquirendae contextus, quo singula enunciata inter se cohaereant, aut, id quod difficilius est, e nostro sermone in aliam linguam est vertendum, enunciationes aptae illi linguae quaerendae sunt et ita inter se contexendae, ut illius linguae usui conveniant. Hac igitur ratione et totas res in partes dividere et partes omnium rerum inter se coniungere docetur, neque quidquam potest ex altero sermone in alterum transferre, nisi logica arte usus iis, quae didicerit, grammaticae legibus nititur. Equidem concedo opus non esse pueros, qui iam per longum temporis spatium his exercitationibus assuefacti sunt, in qualibet sententia interpretanda de legibus grammaticis cogitare: immo vero ii, qui aliqua ex parte usu sunt docti, tam celeriter tantaque facilitate vertunt, ut tanquam natura ipsa ducti ea, quae recta sunt, ponant: sed hoc ipsum docet id, quod nobis est demonstrandum, quantum illi discipuli iam profecerint in mentis viribus acuendis, nec profecto quisquam vel eorum, qui plurimum profecerint, interpretari vel vertere poterit ullam sententiam mentis viribus non adhibitis propterea, quod secundum eorum aetatem in dies difficiliores fiunt quaestiones et labores. Nam iis, qui ad superiores scholae nostrae gradus provecti sunt, non tales sententiae vertendae explicandaeque proponuntur, quae intellegantur sine magna animi attentione, sed eae sunt in latinum sermonem transferendae, quae a nostri sermonis scriptoribus nostro usui sunt accommodatae neque illo sermone reddi possunt, nisi contextus sententiarum, qui est linguae Germanicae, nonnunquam plane mutatur, ut conveniat antiquorum usui: et plerumque talia vocabula a nostris sunt adhibita, quae nisi secundum illorum dicendi genus plurium verborum circuitu exponuntur, recte exprimere sententias scriptorum non possunt minimeque similes sunt antiquo sermoni. Hoc autem fieri non posse nisi ab iis, qui mentis viribus summaque diligentia

utuntur, quis non intellegat? Hoc autem est illud, quod in hac re tractanda nobis propositum est, ut assiduo labore pueri assuescant accurate cogitando. Et haec quidem ratio, quae grammaticarum legum fundamentis est subnixa, sola nobis probatur, qua discipuli ad humanitatem conformentur; quotusquisque autem eorum, qui in puerorum institutione aliquid operae consumserunt, probaverit rationem illorum, qui prima pueritia pueros, ne dicam infantes, in aliarum terrarum disciplinas tradunt educandos, in quibus sine iudicio decantare recentes linguas docentur. Qui ad illud quidem perveniunt, ut utantur peregrino sermone, quia quotiescunque patriae linguae unam vocem pronunciant, poena eis est exspectanda, sed mentis eorum vim non magis esse acutam, quam antea fuerat, saepissime licet cognoscere.

Quod cum nobis concedant hanc rationem grammaticae legibus nisam unam omnium plurium valere ad ingenium puerile exercendum facultatesque animi augendas, nonnulli reperiuntur, qui dicant opus non esse praeceptis antiquorum sermonum grammaticis hoc fieri, cum nobis ipsis sint nostrae linguae grammaticae leges, quibus discipuli imbuendi sint, et magis deceat, si fieri possit, patrio sermone tractando id petere, quod nos linguarum antiquarum studio assequendum esse censemus. Quibus ne nos quidem negare respondemus primum discipulis esse prima grammaticae nostrae praecepta tradenda neque convenire naturae humanae peregrini sermonis usum quemquam docere nostrae ipsorum linguae ratione non habita. Qui vero explicandis unius linguae nostrae legibus mentis vires satis exacui posse putant, iis proventus secundus exspectandus non est. Quid enim? Fieri quidem potest ut viri eruditi et adolescentes, quorum iudicium iam subtile est, sententiarum germanica lingua expressarum contextum explicare et, quomodo inter se singula cohaereant et alia ab aliis pendeant, indagare causasque, cur quaeque dicta sint, inquirere studeant: pueris vero

quibus nondum acris vis est cogitandi, difficilius id esse et molestius saepe licet experiri. Qui cum iam a primis aetatis temporibus hoc sermone locuti sint atque per ludum et neglegentiam utantur, grammaticae praecepta tanquam naturae leges habent et mirantur saepe, si causae verborum coniunctionis ex ipsis quaeruntur, quam natura ipsa praescriptam esse opinantur. Nihil igitur miri, quod in scholis, in quibus prima literarum elementa traduntur, discipuli vel optima indole praediti nostrae linguae praeceptis tam celeriter fatigantur eosque saepissime huius doctrinae taedet, nec non omnes, qui in infimis gymnasii classibus ad explicanda germanicae grammaticae praecepta multum temporis contulerunt, se expertos esse fatebuntur plerumque huius disciplinae pertaesum esse discipulos parumque se profecisse, quod huius aetatis pueris, quorum mens ipsius grammaticae studio exercenda est, illa doctrina non convenit. Porro quis discipulorum non rumpat patientiam, cui quotidie una hora in declinandis patrii sermonis substantivis et verbis sit consumenda, id quod aliquamdiu prorsus necessarium esset, si antiquarum linguarum studio omisso grammatica nostri sermonis tractanda mens esset acuenda. Itaque pueris, postquam prima grammaticae nostrae elementa docti sunt, si quidem eos id, quod propositum est, assequi cupimus, peregrini, sermonis praecepta sunt tradenda, qui quo perfectius rationique humanae convenientius est excultus, eo aptior est, qui pueros assuefaciat accurate cogitando. Hoc autem graecum et latinum sermonem ceteris omnibus praestare quis mortalium non concedet? Graeci et Romani ut in omnibus, quae sensum suum et iudicium exprimerent, formae elegantia multum operae consumserunt, ita linguas illas elegantissimas tanquam monumenta nobis reliquerunt, quae nullus adhuc populus adaequavit et in omnem posteritatem summa admiratione erunt digna. Nullam invenies linguam, in qua cum magna subtilitas et perspicuitas, tum elegantissima illa coniunctionum

varietas et mira in sententiis iungendis sit licentia. Quodsi cui non sit persuasum, quantopere recentes linguae licentia egeant et varietate, qua veteres abundabant, is inspiciat scriptoris alicuius veteris librum in sermonem germanicum vel franco-gallicum vel britannicum translatum, e quo intelleget etiam ab eis, qui peritissimi fuerunt eleganter vertendi, fieri non potuisse ut talem singularum sententiarum contextum redderent, qui responderet illorum venustissimae verborum et sententiarum coniunctioni. Accedit quod in latinae et graecae grammatices praeceptis explicandis iam longum spatium temporis a viris de literis optime meritis consumtum est, ita ut ceterarum linguarum praeceptis hae leges perfectius sint explicitae puerisque ad intellegendum faciliores et, quamvis breviter in libris sint expositae, tamen ita perspicuae, ut ab omnibus facile cognoscantur. Quare vel eo, quod recentium linguarum grammaticis praeceptis haec et breviora et ad intellegendum faciliora sunt, multo magis sunt idonea ad iuveniles mentes acuendas. Unde vero recentes linguae ductae sint quis ignorat? Magna ex parte latinum sermonem sunt recentes populi imitati: quae autem ab ingenio suo abhorrebant, ea mutata ad suam naturam et arbitrium accommodabant, nec omnino curabant, utrum ea quae mutabant responderent latini sermonis usui necne. Quo factum est, ut horum sermonum usus maxime sibi inconstas sit et saepe inveniri praeceptorum grammaticorum causa non possit eaque de causa apta non sit illa grammatica, qua accurate cogitando rationique constanti pueri assuefiant Non igitur dubitamus contendere eorum discipulorum, qui artibus iis tantum sunt eruditi, quae ad vitae communis institutionem spectant, mentes multo minus excultas esse quam eorum, quorum animus antiquis literis est conformatus. Quod si qui nihilo minus dubitaverint, veram esse hanc sententiam eis persuadebitur, si illorum scripta cum horum comparaverint, id quod mihi quidem nonnunquam facere licuit. Intellegent, si

utriusque generis superioris ordinis discipulis de eadem re pariter utrisque nota est scribendum, gymnasii discipulos plerumque illis multo accuratius, multo subtilius eam rem perficere, quod unde fiat, non difficile est ad explicandum: illi enim instituti sunt recentium linguarum doctrina, quae praecipue ad firmandam memoriam, minus ad ingenium acuendum valent, hi literis antiquis, quae ut natae sunt a populis doctissimis subtilisque eruditionis, ita assuefaciunt iuvenes subtiliter cogitando. Quod autem iuvenibus qui gymnasii studia coluerunt, deest usus sermonum recentium, experti sumus eos fundamentis illis firmis, quae literis antiquis sunt facta, nisos brevi et facile eo pervenisse, ut sermonibus recentibus expedite uterentur.

Audiendi non sunt illi, quos miseret puerorum, quibus tanti lobores subeundi, tantae difficultates superandae sint in ediscendis grammaticae romanae et graecae praeceptis et in cognoscendis illorum scriptis, cum in recentium linguarum legibus comprehendendis minime tantus labor sit subeundus: immo vero hac ipsa de causa huic studio primum locum in scholis concedendum esse affirmamus. Quid enim aliud significat vox gymnasii quam talem scholam, in qua impigre atque assidue discipulorum natura et ingenium sint exercenda: atque ut in veterum populorum palaestris pueri corpora solebant exercere non delectando aliorum pugnis, ludis, laboribus, vel otiose ambulando, sed currendo, saliendo, laborando, omnes corporis nervos contendendo, ita non eorum puerorum ingenium conformatur, quibus venustissima antiquitatis scripta delectandi causa proponuntur et explicantur, sed eorum tantum, qui omnibus mentis viribus enisi indolem a natura sibi datam student exercere. Quis autem dubitaverit, quin ad ingenium exercendum recentium linguarum studio tractatio veterum literarum multo aptior sit. Nam primum quod ad ipsa grammatica praecepta cognoscenda pertinet, nemo mortalium non concedit eis,

qui antiquis literis student, multo magis memoriam exercendam, multo impigrius animum intendendum esse quam eis, qui cognoscere cupiunt sermones recentes. Tum constat inter omnes eis, qui recentium linguarum leges grammaticas cognoverunt, ad omnia his linguis scripta intellegenda fere nulla, certe pauca impedimenta esse superanda eaque re faciliora esse haec studia, quam quibus aetatis puerilis animi exerceantur. Antiquas vero literas non ita facile intellegi etiam ab eis, quibus praecepta grammatica penitus snnt cognita, omnes consentiunt, qui eis ediscendis operam navarunt. Qui exempli causa Caesaris, Ciceronis scripta legerunt atque intellexerunt, eis, si Taciti annales volunt interpretari, sermonis usus omnino novus est cognoscendus: qui in Herodoti historiis aliquamdiu sunt versati, ei, si Thucydidis libri sunt explicandi, in hoc sermone hospites se et peregrinos esse fatebuntur: qui Homeri carmina tam saepe legerunt, ut fere memoria ea teneant, eis, si ad Sophoclis tragoedias legendas se accingunt, persuadebitur huius sermonis usum prorsus ab illo differre. Neque solum verborum usu et contextu hi scriptores inter se dispares sunt, sed etiam sententiarum et de variis rebus iudiciorum tantum est discrimen, quantum non interest inter recentium sermonum scriptores. Tum ut ea, quae in scholis leguntur, discipuli intellegant, necesse est ignari non sint historiarum fabularium, quibus antiquitas abundat, legum et institutionum Graecorum et Romanorum, quae attinent ad libros interpretandos, easque nunquam in promptu non habeant; quae omnia animum assidue et accurate cogitando assuefacere satis notum est. Neque vero putandum est eo, quod per multos annos in antiquis literis ediscendis opus est discipulis summa diligentia atque assiduitate, taedere eos laboris: sed usu licet experiri plerosque, quo longius progressi sint et plus temporis in eis consumserint, eo libentius huic rei studere et in dies patientiores fieri laborum. Quare dicere licet eis, qui

ex sententia ad id quod propositum erat pervenerunt et relicturi sunt gymnasium, arduam fuisse illam viam et nonnunquam difficillimam, qua ad humanitatem conformati sunt, sed quae asseeuti sunt, eas opes esse, quas nemo sibi possit aut vi aut fraude eripere, siquidem eae sunt solidae et verae opes, quas assiduo labore et studio nobis paravimus.

Quo vero magis peregrini populi lingua a nostra discrepat, eo saepius facultas datur discipulis nostrae linguae cognitionem amplificandi eiusque usum accuratius cognoscendi. Nam si ex alio sermone in nostrum est vertendum ita, ut ad lingue nostrae similitudinem accedatur, primum quae fuerit scriptoris illius sententia, quaerendum est, tum quae nostrae linguae voces respondeant eis, quibus scriptor usus est, denique quomodo illius verborum conformatio, qua singulae locutiones inter se cohaerent, mutanda sit, ut nostro usui respondeat: quae omnia fieri non possunt, nisi quis summam adhibuerit animi attentionem. Haec autem acuminis exercitatio ulla recentium lingua tractanda tam saepe necessaria est, quam antiquis? Minime, quod harum et vocibus tam varia inest vis et sententia, ut saepissime animo volutandum sit, quid in quaque elocutione significent, et verborum compositioni tanta est varietas, quantam nec in nostra nec in ulla recentium populorum lingua inveneris. Atque etiam ea de causa minus aptae sunt recentes linguae ad amplificandam nostri sermonis scientiam, quod multo minus, quam antiquae, a nostro usu abhorrent multaque eis insunt, quae e nostra lingua illi populi sunt mutuati.

Iam vero nullam esse rationem contendimus magis accommodatam, qua discipulis bonum iudicium et elegantia ingignatur, quam antiquarum literarum studium. Quis enim nesciat veteres scriptores omnibus recentibus ob duas res praestitisse: bono iudicio, eleganti perfectaque forma? Bonum est eorum iudicium, quod longe absunt a vanis illis, ineptis putidisque dictionibus, quibus tam saepe

occurrimus apud recentes scriptores. Quamvis sint sublimes et excelsi, semper tamen sunt sinceri, sententiae eorum quamvis sint subtiles et reconditae, tamen possunt perspici, et quamvis magna mentis incitatione excellant, semper sibi moderantur. Nequaquam nobis in animo est negare etiam nostra aetate nonnullos scriptores res praeclaras perfecisse, quarum praestantia a veteribus non est superata, sed nihilo minus bono illo iudicio quantopere excellebant Graecorum et Romanorum scriptores ad unum fere omnes, tantopere recentes non sunt usi. Perfecta autem est eorum scribendi forma, quod eas dictiones semper adhibebant, quae decebant res quas tractabant. Quis recentium ad miram illam venustatem accesit, qua singulas sententias, res graves gravibus et difficilioribus, res leves levibus verborum coniunctionibus, inter ipsas connectere solebant? Sine dubio nullum discipulorum, ut unum tantum exemplum afferam, discrimen illud fugiet, quod intercedit inter dicendi formam, qua Horatius poeta usus est in odis componendis, quarum grave argumentum est, et eam, quam in eius sermonibus invenimus. Admirabitur profecto unusquisque poetam, qui in poematis inter se tam diversis dicendi genus adhibuit diversissimum et utrique carminum generi aptissimum. Sic apud omnes scriptores dicendi genus et formam invenies, quae eas ipsas res decet, quibus operam dabant. Quare ut forma perfecta in scribendo et recto iudicio uterentur, inde ex illorum temporibus fere omnes viri docti antiquos scriptores imitandos esse censuerunt, velut Lessingius, cuius iudicium optimum et acutissimum constat fuisse, ex unis antiquorum poetarum libris quaerendam regulam esse dicit, quam debeant vel tempore nostro poetae observare. Quid autem illi assecuti sint poetae, qui hanc regulam non observaverunt et ex sua libidine fabulas inceperunt scribere, plerisque superioris gradus discipulis est notum et a praeceptoribus facile potest exponi hac ipsa de causa, quod neglexerunt anti-

quorum praecepta, illos nihil profecisse. Quodsi cupimus iuvenum, qui educandi nobis traditi sunt, iudicium fieri bonum et intellegens, scribendique elegantiam formae eis ingigni, imprimis studio antiquarum literarum animus eorum est excolendus.

Quae iam exposuimus, iis satis demonstratum esse putamus ad ingenium puerile excolendum graecae et latinae linguae studio nihil esse magis accommodatum ob eamque causam huic studio in gymnasiis primum concedendum esse locum. Sed non minus propter argumentorum gravitatem prae aliis artibus hae literae iuvenibus sunt colendae. Quid enim epicis eorum carminibus est excelsius et venustius, quid dramaticis sublimius, quid philosophorum et rerum scriptorum libris doctius et gravius? Hanc sane propter causam dignae sunt illae literae, quibus summum studium et continuam diligentiam discipuli impendant. At quid opus est res, quibus animi iuveniles alantur, in aliorum populorum literis quaerere, cum nobis ipsis sint poetae, philosophi, oratores, rerum scriptores, et carmen nobis epicum ex illo medii aevi tempore, quo nostri poetae florebant, traditum sit, quod nostri populi laudes et gloriam praedicat summaque admiratione dignum esse etiam ab aliis populis conceditur. Qui hoc opponunt, eis primum respondemus nos quidem ipsos hoc populi nostri carmine epico gloriari et valde cupere omnes, quibus facultas datur eius legendi, hanc facultatem non praetermittere, quod ex eo ingenium et praeclari mores, qui illo tempore populo nostro fuerunt, intelleguntur, itaque merito in superioribus gymnasii gradibus hoc carmen legitur et explicatur. Sed nihilo minus dissidemus ab eis, qui illud carmen Homeri nostri carmen appellant et huius poetae graeci loco in scholis tractandum esse putant. Quid enim pertinent instituta et iudicia, quae tunc fuerunt populi nostri, ad huius nostrae aetatis iudicia? Homeri vero carmina fuerunt, quae in deorum cultu caeremoniisque celebrandis tanquam

oracula tota antiqitate Gaecis fuerunt et non modo poetis tragicis eximia illa argumenta suppeditaverunt, verum etiam usque ad ultima Graecorum historiae tempora sculptoribus, pictoribus, aliisque exemplar fuerunt, ad cuius similitudinem quo quis propius accessisset, eo perfectior eius ars habebatur. Neque illis tantum temporibus exemplar fuit Homerus, quod imitandum sibi poetae et artifices proposuerunt, sed nostra ipsorum aetate summi ingenii poetae illum sunt imitati. Num qua recentium fabularum praestantior est Aeschyli et Sophoclis tragoediis, quibus cum summi poetae nostri Schillerus et Goethius similes composuissent, ille fabulam, quae dicitur „Braut von Messina", hic „Iphigenie auf Tauris", valde gavisi sunt, quod ad antiqua illa exempla propius accedere sibi licuisset? Et Klopstockius poeta ille, qui honorem reddidit linguae nostrae a Franco-Gallica oppressae, qua uti homines, qui eruditi volebant haberi, pudebat, egregiis illis odis docuit, quam sublime antiquarum literarum studio et poetis antiquis imitandis sit latus. Multo vero plus, quam ad artem poeticam, valent haec studia apud ceteras artes literasque cum apud illas, quae omnium literarum sunt fundamenta, philosophiam et historiam, tum apud eas, quae ad certum quoddam munus spectant. Philosophiae studium, quod est in abditissimis omnium rerum causis inquirendis, ut antiquis temporibus magni aestimabatur, ita nostra aetate plurimi est faciendum summique ad bene vivendum momenti. Nam cum de ratione agatur, quae est nobis cum Deo et rerum natura, consentaneum est hoc studio gravissima principia quaeri, quae sunt generi humano. Huius autem studii non modo prima elementa et incunabula a Graecis sunt orta, sed Plato et Aristoteles ad interiores eius partes penetraverunt et ita penitus in eam se abdiderunt, ut vel de difficillimis rebus et principiis sapienter disputarent, quare nemo ne hodie quidem philosophiae studet, quin eorum placita et doctrinas cognoscat. Neminem puto esse, qui

in eruditorum numero voluerit haberi, quin gravissimas rerum post hominum memoriam gestarum cognoverit: atqui res a Romanis et Graecis gestas graviores esse, quam quae praetermittantur, omnes concedunt, quas ut cognoscamus fieri non potest, nisi ea, quae ipsi nobis tradiderunt, perlegamus. Ii quoque, quibus in animo erat medii aevi et recentium temporum historiam scribere, recte intellexerunt Thucydidem, Livium, Tacitum exempla esse dignissima, quae in rebus enarrandis causisque eorum, quae narrabant, inquirendis imitarentur. Negari non potest medicos, physicos, eos, qui mathematicae arti student, literarum antiquarum cognitione non egere: quod enim de medicinae arte aliquando Hippocrates, de physica Aristoteles et Theophrastus scripserunt, id ut ii cognoscant, qui nunc his artibus operam dant, opus non est: nihilo vero minus putamus omnes, qui harum artium scientiam exquisitam sibi volunt comparare, natura ipsa impelli ut legere cupiant ea, quae veteres populi de his rebus senserunt, quae pervolutare eo magis operae pretium fuerit, quod etiam hac nostra aetate ex illorum scriptis de plantarum vi nonnulla hauriuntur. Sed alia quoque de causa medicinae artis studiosis latinam et graecam linguam cognoscendam esse arbitror. Sunt enim medici iam inde a primis huius artis incunabulis nomina morborum, herbarum, medicamentorum, singularum corporis partium ex utraque veterum lingua mutuati, quo mihi quidem nihil videtur esse magis consentaneum. Omnium enim populorum universique orbis terrarum medici cum amplificandae scientiae causa naturali quadam societate inter se coniuncti omnes res, quae magni momenti sunt, inter se communicare soleant, talibus nominibus ad artem suam pertinentibus decet eos uti, quae ab omnibus intellegantur. Nullius autem linguae nomina magis apta sunt quae usurpentur, quam mortuae, quod, si ex aliqua recentium ea nomina essent mutuanda, non solum non ita facile inter medicos conveniret, cuius po-

tissimum populi lingua praeferretur, sed post aliquod temporis spatium ea nomina non faciliora essent ad intellegendum, quam graeca et latina, quod omnes linguae recentes paulatim mutantur. Quid dicam de iis, qui disciplinae iuris operam sunt navaturi? Cuius principia cum a Romanis sint tradita et hodieque iuris dictionis fundamenta sint, quis ei studere possit, quin Romanorum non modo linguam, sed etiam instituta et leges cognoverit? Theologiae qui student, eis omnino opus esse illarum linguarum cognitione quis ignorat? Quibus, cum ex iis, quae et in libris divinis et a divinarum rerum scriptoribus nobis tradita sunt, ea quae docent demonstranda sint, certe non ex sententia succederet, si ignorarent illos libros graeco et latino sermone scriptos. Itaque neminem puto non concedere multos esse, qui illarum linguarum usu omnino carere non possunt.

Errant autem ii, qui ex libris antiquis in nostrum sermonem translatis putant omnia percipi et intellegi posse. Neque enim aut venustas perfectae eorum artis scribendi hoc modo cognoscitur, quia omnibus, qui vertunt aliquem librum, secundum nostrae linguae usum scribendum est et ab illorum coniunctionibus verborum saepe decedendum, aut iudicium veterum scriptorum plane perspicitur, quia nisi ex ipsius sermonis usu nullius iudicium cognoscitur. Saepe ne argumentum quidem eorum, quae scripserunt, ex libris in nostrum sermonem translatis possumus accurate intellegere: quanta enim fide digni sunt, Gottschedius, vir ille qui imprimis magnam librorum conversorum vim et momentum demonstrare studebat, indicavit. Ait in prooemio illorum librorum, qui a compluribus viris in Germanicum sermonem sunt translati: „Sollten aber dennoch gelehrte Männer hin und wieder etwas zu erinnern finden, wie es in solchen Sachen nicht zu vermeiden ist, so müssen sie bedenken, dass diese Uebersetzung nicht für diejenigen gemacht ist, die den Grundtext selbst verstehen, sondern für Un-

studierte oder des Griechischen Unerfahrene, *denen es auf alle Kleinigkeiten so genau nicht ankommt.* Uebrigens werden die Uebersetzer auch da, wo sie gefehlt haben sollten, an so grossen Männern, die den Lucian lateinisch übersetzt haben und gleichfalls nicht fehlerfrei geblieben, ihre Entschuldigung finden.“ Ergo si quid peccatum erat ab illis viris, excusari putavit eos, quod ne alii quidem viri docti nihil peccavissent. Quis igitur illis libris conversis omnino confidat? Omnium vero philosophorum ullum librum quis intellegat illo sermone in nostrum conversum? Mihi quidem persuasum est id omnino fieri non posse. Quod autem in scholis nostris scriptorum libros in nostrum sermonem vertendos et explicandos discipulis proponimus, id quoque agimus, ut discipuli quae legunt, ea animo concepta atque comprehensa perpetuo retineant, quae retinere facile non possent, nisi verba scriptorum ipsa legerent, id quod exemplo mihi liceat breviter demonstrare. Explicandus est discipulis Livii liber vicesimus primus, qui de transitu Alpium ab Hannibale facto agit et de difficultatibus, quae erant superandae. Cuius libri argumentum si pueros celeriter ex nonnullorum hominum sententia vellemus docere, praelegeremus eum in nostrum sermonem conversum. Num ea, quae audissent, paucis annis post memoria tenerent? Immo vero non iam accuratius ea scirent quam fabellam aliquam, quae nonnullis ante annis ab eis est lecta. Quid vero, si liber ille in nostram linguam est transferendus, res difficiles, quae ad grammaticae praecepta, ad veterum populorum victum cultumque pertinent, explicandae sunt? Non ita facile profecto ea, in quibus explicandis nonnullorum mensium spatium consumtum est, ex iuvenum animo elabentur.

Denique multum valet ad ingenium puerorum acuendum illud, quod non modo scriptorum libros in linguam nostram vertunt, sed etiam ex nostro in illum sermonem transferunt. Qui enim has exercitationes omitti cupiunt,

ii et ignorant linguae alicuius venustatem et perfectam formam eo accuratius perspici, quo quis magis ipse versatus est in eius usu, neque considerant, quantopere ea occupatione omnes vires, quae in cogitando adhibentur, contendi opus sit. Cum exempli causa graece est scribendum, quantopere connitendum animo est, ne peccent in leges, quae sunt de vocum notis mutandis, prout nota est antecedentis aut sequentis vocabuli? Qua animi contentione opus non est, si in Franco-Gallorum vel Britannorum sermonem aliquid est vertendum. Si vero enunciationes faciles et leves in alium sermonem vertendae sunt, quibus se exerceant iuvenes in praeceptis grammaticis cognoscendis, quantum intersit inter veteres linguas et recentes, docuit Jaeger in libello nuper edito: quae enim enunciata in recentes linguas sunt transferenda, ea magnam partem sunt vulgaria neque cogitandi habent facultatem; quae vero in veteres linguas vertuntur, primum quidem sunt exilia, sed postquam nonnulla tantum grammatica praecepta discipuli cognoverunt, pleraque exempla ex antiqua historia literisque petuntur, in quibus transferendis etiam ad sententiam eorum, quae dicta sunt, animus est convertendus. Eos qui contra dixerunt fieri hoc etiam posse exemplis in recentes linguas vertendis, rogo quae exempla adhuc edita apta sint? Sane quidem nonnulli viri tentaverunt etiam recentium linguarum exempla eligere, in quibus convertendis de sententia disciputi debent cogitare: sed plerique praeceptores consenserunt talia exempla pueris, nisi iam multum profecerunt, esse difficiliora, quia natura ipsa recentium linguarum fert ut primum ea, quae ad usum quotidianum pertinent, ediscantur, quare ei libelli, qui maxime accommodati esse puerili aetati videntur, referti sunt vulgaribus sententiis.

Hae sunt causae, quibus effici puto non recedendum esse a more a patribus nobis tradito et antiquis literis in gymnasio etiamnunc primum deberi locum. Si qui

autem magistri ita neglegunt ceteras doctrinas, quae in scholis tractantur, ut ad philologiae tantum studium videantur discipulos praeparare, non nego ab eis valde peccari: nam, id quod supra iam diximus, eam solam ob causam harum linguarum studio primus locus concedendus est, quod eo ad omnes, quibuscunque trahuntur, artes ediscendas puerorum animi parantur.

Petrus Josephus Schlemmer

de vita sua.

Natus sum anno h. s. XLIII in oppido Sti. Wendalini haud procul ab Saravia sito, patre Joanne, matre Margaretha e gente Aman, quos praematura mihi morte ereptos iam dudum doleo. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis instructus in progymnasii patrii etiamnunc rectore J. Busch florentis discipulorum numerum receptus sum. Tribus post annis Trevirense gymnasium adii, quod tunc florebat directoribus Dr. Loers et Dr. Reisacker, et eadem in urbe postquam maturitatis testimonio instructus sum anno LXIII, theologorum scholas per duos annos frequentavi. Quod studium cum ingenio meo ac naturae repugnare mihi persuasum esset, Bonnam in almam literarum matrem migravi, ubi a rectore magnifico Professore Dr. Naumann civium academicorum numero adscriptus philologiae et historiae studio operam dedi per tres annos et horum professorum scholas frequentavi: Bernays, Diez, Heimsoeth, Jahn, Kampschulte, Knoodt, Ritter, Schaefer, Simrock, de Sybel, Usener, quibus viris clarissimis gratias maximas semper habebo.

Examine pro facultate docendi auctumno a. LXVIII superato Coloniam profectus sum et in gymnasio Fridericio-Guilelmio, quod directore Dr. O. Jaeger floret,

duos annos septem menses praeceptoris munere functus sum. Tum postquam bello gloriose exacto haec Alsatica terra cum patria iuncta et directori Dr. J. Giesen, pristino praeceptori meo, mandatum est ut Lyceum, quod Argentorati fuerat, gymnasii germanici instar renovaret, a summis viris hanc terram administrantibus in hanc urbem vocatus sum, qui iuvenes edocerem et erudirem.
